



LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓIFJÚSÁG SZÁMÁRA

Moderator ephemeridis JOSEPHUS WAGNER DR. Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (Teleph.: 68-6-34), ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administrator ephemeridis ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-utca 5., ad quem pecuniae quaeunque dirigantur. (Postatak. csekkssz. 57.292.)

Prodit Budapestini decies in anno. Preium subnotationis an. 1934—35. est pro Hungaria 3 pengő; pro exteris nationibus 4 pengő.

Sollemnia¹ natalicia¹ Jesu Christi 1934.

Omnium mensium December est carissimus iuvenique senique. Nam non solum die Sancti Nicolai dona accipiuntur, sed etiam maiore cum gudio tota iuventus coniectat,² quos lusus et libros aliaque dona inopinata³ sub abietis arbore die festo Christi nati lumibus ornatā inventura sit. Quam celeriter inter tot tantasque delicias⁴ «truditur⁵ dies⁵ die⁵», dum annus novus finem otio⁶ fruendi⁶ facit iterumque vita negotiosa scho-
lae incipitur!

Ita aliis temporibus affecti⁷ sumus. Nunc autem quasi suppressio⁸ nocturna⁸ gravat⁹ nos tristis patriae status. Populi vicini haud contenti spoliis immensis, quae nobis innocentibus extorserunt,¹⁰ rursus fraudem¹¹ moliuntur.¹¹ Nolunt confiteri crudelitate suā factum esse, ut quidam Croati et Mace-
dones emigrantes coniuratione factā re-
gem Alexandrum trucidando iniurias dictaturaē ulciscerentur. Nos crimina-
bantur et calumniabantur¹² et nisi Ge-
nevae diplomatae Italiae, Britanniae

Poloniaeque br. Aloisi, comes Eden et Komarnicky effecissent, ut Societas Nationum sine ira¹³ et studio¹³ iudicaret, innocentia nostra, quamquam a Tiberio Eckhardt prudentissime atque sollertissime¹⁴ defensa, tamen haud cognosci potuisset.

Eodem tempore, quo Genevae de fama

¹ születési ünnep (karácsony) ² találkat ³ meglepetés ⁴ örömködés ⁵ múlnak a napok ⁶ pihenés ⁷ hangulatban ⁸ lidércnyomás ⁹ nehezedik ¹⁰ kicsikar ¹¹ fondorodnak ¹² rágalmaz ¹³ elfogultság ¹⁴ leleményesen.



Expulsi in statione Szegedinensi cenam capiendo causa ordine stant.

Per.
Lat
020



atque honore¹⁵ Hungariae agebatur,¹⁶ alias maior novus ac improvisus totam civitatem percuslit:¹⁷ milia Hungarorum finibus Iugoslaviae expulsorum in oppida utrumque sub finem sita advenerunt. Viri, mulieres, etiam senes 70—80 annos nati, qui semper aut certe¹⁸ iam ante bellum ibi vixerunt, Iugoslaviam optaverunt; aegroti, pueri et puellae impuberes,¹⁹ quin²⁰ etiam²⁰ infantes parvuli, quorum omnium quis ne tum quidem, si voluisse, Iugoslaviae nocere potuisse: hi omnes nullo sibi tempore ad res suas maxime necessarias colligendas relicto, alii ex officina,²¹ alii ex tabulario,²² nonnulli ex cubiculo sine calceis²³ evocati et expulsi sunt, quorum domos ac domicilia statim colluvio²⁴ hominum²⁴ Hungaris infesta expilavit. Quae ras forsitan: quomodo hoc fieri potuit? Quia Hungari erant et noluerunt, quin etiam non potuerunt linguam maternam dulcissimam recusare.²⁵

Erunt forsitan, qui dicant: O homines miserabiles, qui heri divites et beati, hodie extorres²⁶ et inopes misericordia egeant! At ego quidem contra dico: O homines admirabiles, qui iacturam²⁷ omnium fortunatum facere²⁷ malueritis, quam legem amoris linguae maternae perfringere! Exemplum a vobis statutum est, quod omnes boni cives imitabuntur! Nolite timere! Jesus noster, qui iussit pauperes et miseros adiuvandos esse, mox iterum affert amorem infinitum, cuius nemo tam durus, tam inhumanus²⁸ esse potest, quin particeps esse velit.

Lectores Iuventutis! Date vos quoque advenis nostris, quod quisque dare potest: frumentum, cibos, lignum et carbonem ad calefaciendum,²⁹ vestimenta etc. huius generis ad suum quisque magistratum mittat (Budapestinenses ad praefectum urbis, alii ad supremum³⁰ comitem³⁰), pecuniam autem per nummariam³¹ syngrapham³¹ tabellariam³¹ (numeris 64.086) ad ministrum rerum³² internarum,³² qui huic actioni charitatiae³³ praeest. Sitis contenti hoc die natali Christi paucis donis! Nolite obliviousi verborum di-

vinorum: «Quae pauperibus datis, mihi datis.» Laetamini, quod iam vos quoque lacrimas miserorum siccare³⁴ potestis! Nemo sit vestrum, quin die natali Christi beatam conscientiam³⁵ beneficii³⁶ in miseros collati³⁶ sentiat! Amplectamini benigne novos cives, ne meliorem veterem patriam amisisse, quam novam accepisse videantur!

¹⁵ becsület ¹⁶ forog kockán ¹⁷ megrendít ¹⁸ legalább
¹⁹ serdüléten ²⁰ sőt még ²¹ műhely ²² hivatal ²³ cipő
²⁴ csőcselék ²⁵ megtagadni ²⁶ hontalan ²⁷ lemond ²⁸ szív-
²⁹ telen ³⁰ tüzelő ³¹ főispán ³² postacsekk ³³ belügy ³⁴ jó-
³⁵ tékonysági ³⁶ felszárít ³⁷ öntudat ³⁸ jót tesz.



LECTORIBUS MINIMIS.

Sapiens et portitor.¹

(Quid sit ad vivendum utile?)

Dicitur quidam Arabicus nomine Ibn Zamir vir doctissimus cymba² cuiusdam portitoris per fluvium Tigris transvehi voluisse. Sapiens interdum portitorem allocutus traditur: «Quot versus e sacro libro Korán possis recitare?»

Cui ille: «Nec ullum, Domine, quia tempus ad perdiscendum non habui».

Sapiens: «Perdidisti partem pulcherrimam vitae tuae».

Paulo post iterum doctus alloquitur nautam: «Scisne quidquam de cursibus³ siderum?»

— Nihil, o Domine, ait indoctus.

— Pessumdedisti⁴ per negligentiam quartam vitae tuae.

Iterum roganti, an de mathematica aliquid sciret, nauta respondit se imperitum numerorum.

— Heu te infelicem; inutilis perit pars...


Verba ad finem ducere non valuit⁵ sapiens rate eversā. Nauta et sapiens luctantur⁶ in undis. Tum portitor: «Sisne peritus natandi,⁷ Domine?»

— Non... — respondit voce magnā sapiens morte vicinā perterritus.

— Perdidisti totam vitam tuam, respondit nauta, quem enatasce scimus, sapientem vero demersum.⁸

Quid nos haec fabella docebit? Eduardus Mayer.

¹ révész ² csónak ³ pálya ⁴ tönkretesz ⁵ volt képes
⁶ kúzködnek ⁷ úszás ⁸ elmerült.



Regulus pius.

Fuerunt quondam tres reguli, qui patre mortuo imperium inter se comparare¹ non potuerunt, et quemdam sapientem interrogaverunt, quis eorum merito rex futurus esset. Sapiens respondit: «Erigite² cadaver patris et iacite tela in cor eius. Iaculator optimus, erit rex». Fratres iactare coeperunt. Primus et alter brachia corporis percutserunt.³ Res ad tertium venit. At ille tela a se abiecit et exclamavit: «Non possum tela iacere in cor patris mei et nolo tali modo rex esse». Tum nobiles hunc regulum regem creaverunt.

Anus⁴ versuta.⁴

Aliquando, cum Dionysius, tyrannus Syracusarum moriturus⁵ fuit,⁵ omnes cives laetabantur. Sed quaedam anus vetula cotidie adorabat deos, ne tyrannus moreretur. Quibus auditis⁶ tyrannus eam ad se vocat et causam facti requirit. Tum anus respondit: «In pueritia tyrannum improbum fuisse memini, quo mortuo tu successisti. At tu etiam improbior es. Quam ob rem timeo, ne te mortuo ipse diabolus⁷ veniat».

V. Kósa et A. Horváthi.

¹ megegyezés alapján felosztani ² állítások fel (célpontnak) ³ átdöf ⁴ furfangos öreg asszony ⁵ fellábbal a sírban volt ⁶ hallatára ⁷ ördög.

Caesar et astrologus. (2.)

Ser. J. Wagner, in Latinum conv. Aem. Láng.

Caesar manibus ad tergum reiectis passibus proceris¹ in penetralibus² inambulat. Etiam atque etiam ad fenestram consistit et prospicit in tenebrosam noctem. Ex oriente ab Esquilino fulmina procellae abeuntis, quae magis magisque rarescunt, coruscis luminibus illustrant amphitheatrum³ Flavium.³

Postquam Caesar totum diem recognovit⁴ et animo⁵ res gestas percurrit,⁵ metu anxius sic secum⁶ mussitabat: Astrologus me cras

moritum esse dixit. Forsitan timorem¹ mihi iniicere voluerit? Quid praemii a concitatoribus⁷ accepit? Qui sunt illi sceleratissimi? Quorum autem insidiae nunc in⁸ irritum⁸ cecidere¹? Nec⁹ astralogus impune⁹ abiit.⁹ Si vates falsus non fuisset, tum propriam mortem quoque praedixisset! Quod quidem ridicule ac facete feci! Hahahae!¹⁰ Stupidissimi homunculi,¹¹ qui incepitare¹² ausi sint cum Domitiano, eoque domino ac deo, penes quem arbitrium vitae necisque! Si vates securi se percutsum iri dixisset, cruci affixus mortuus fuisset. Quamlibet mortem sibi optasset,¹³ genus moriendi nunquam invenisset. Nam quodsi invenisset, etiam quae mihi praedixerat, ad¹⁴ effectum¹⁴ perducerentur.¹⁴ Quam dulce est imperare! Ut mihi imperium adimatur? Nunquam! Sed hoc tamen magnum mihi documentum¹⁵ erit. Dehinc astrologi mihi caute et provide tractandi erunt, cum timeant, ne eundem exitum habeant ac Ascleptario. Non audebunt aperte atque libere loqui. Ascleptario igitur defunctus est. Centurio praetorianus renunciavit securi eum percutsum esse. Omnino iam et ustus est. Sed cur non afferuntur cineres eius? Ubi tam diu morantur barones?¹⁶ Procella iam dudum abiit. Hem! fores pulsantur! Iam adesse videntur. Eho!¹⁷ ubi est urna? Cur non attulisti cineres, inclamat Caesar rauca¹⁸ voce intranti?

Non urnam attuli, domine et deus, sed tabellam.¹⁹

Tabellam?! dixit Caesar miratus. Trepida aviditate linum²⁰ incidit. Postquam veloci oculo nuntium delatoris²¹ percurrit, sanguine ex ore decadente pallescit, sudores²² frigidi a fronte defluunt, oculi incerti²³ circum oberrant, denique anhelo²⁴ singultu²⁴ fractus collabitur tabellaque de manu eius exedit, tabella, in qua scriptum erat magna vi nimborum²⁵ effusa ardenter rogum,²⁶ in quem Ascleptario impositus esset, extinctum esse; ubi tempestas abiisset, corpus eius semustum²⁷ sub rogo

¹ nagy ² belső termek ³ ma Colosseum néven ismertes ⁴ emlékezetben felújít ⁵ gondolatban végig fut ⁶ magában halkan beszél ⁷ felbújtó ⁸ meghíúsul ⁹ nem vitte el szárazon irháját ¹⁰ ha! ha! ha! ha! ¹¹ gyarló emberrek ¹² kikezdeni ¹³ választ ¹⁴ megvalósulna ¹⁵ intő példa, tanulság ¹⁶ tökfolkó ¹⁷ hej! ¹⁸ rekedt ¹⁹ levél ²⁰ fonál ²¹ besúgó, följelentő ²² veritékcserek ²³ této-ván ²⁴ fuldokló hörgés ²⁵ felhőszakadás ²⁶ máglya ²⁷ félig megégett.

ventis rapidis disiecto repertum a vagis²⁸ canibus voracibus²⁹ dilaceratum esse.

Ubi Caesar ex pavore animum³⁰ recepit,³⁰
quid nunc? inquit, si astrologus vera dixit,
malum,³¹ tum cras ineunte hora sexta mihi
moriendum erit.

At quis de³² crastino³² cogitet! Optimum
factu videtur cubitum ire. In Palatio cum
praetorianis vigilias³³ agit³³ Stephanus meus
quondam libertus centies probatus, qui in
bello Chatto³⁴ in aperiendo limite ad Taunum
et in proeliis atrocibus contra Dacos et Marco-
mannos mihi summam praestitit fidem, ideo
enim feci eum legatum. Donec Stephanus aderit
nemo in Palatium intrabit.

Caesar somni expers inquietus in lecto iacta-
tur. Somnum³⁵ capere³⁵ nullo modo potest.
Metum corde excutere conatur. Sed frustra!
Per vim oculos comprimit.

Mente metu perturbata somniabat³⁶ circum
se turbam incertam sine corpore raucum mur-
mur edere, quale unda cadens per lēvia saxa
cieret. Quasi in imo antro³⁷ subterraneo esset.
Supra per³⁸ angustam³⁸ rimam³⁸ lumen solis
infundi. Cum oculos acriores atque attentiores
ad rimam adieciisset, se intellexisse lumen illud
non esse lumen solis, sed ardantis rogi. In
summo rogo cadaver igni cremari.³⁹ Mox mor-
tuum, quasi reviviseret,⁴⁰ se erigere. Comas
horrore sibi stetisse, cum cerneret, quomodo
Ascleptario ringeretur⁴¹ ac si allectando⁴² se
invitaret et diceret: veni, veni mecum!

Caesar manum attollit, quasi quid propul-
saret. Subito ingemiscit.⁴³ Quid fuit hoc? in-
quit. Tantum imago somni!

Re⁴⁴ vera,⁴⁴ somnium.⁴⁵ Quis enim Caesari,
domino orbis manus iniicere audeat? Dum-
modo exsecranda⁴⁶ illa hora sexta transeat,
cuncti astrologi depellentur! Si Stoicos domare
potui, illam colluviem⁴⁷ hominum virtutes
ostentantium,⁴⁸ etiam astrologos velut⁴⁹ inda-
gine⁴⁹ dissipatos agam et in aeternum repre-
mam.

Mox animus Caesaris nova visione pulsatur:⁵⁰ En, quomodo astrologi canes fugiunt!
Agite, flagellis⁵¹ excitate canes, quo celerius
currant! Per⁵² vias⁵² inviaque⁵² per montes
et valles in silvam! Viden,⁵³ silva magis
magisque densior atque asperior fit. Subito in-
sectatores⁵⁴ in rupe praecipi et abrupta ab-

horrentes constiterunt, cum⁵⁵ caterva⁵⁶ astrolo-
gorum⁵⁶ persecuta nullo⁵⁷ negotio⁵⁷ transvol-
arent et retroversi conclamarent: Cras hora
sexta conveniemus!

Caesar opertorium⁵⁸ proiecit, oculos terit⁵⁹
et quasi viperino morsu ictus lecto exsilit. Lux
primi diluculi⁶⁰ incerta vix per fenestras per-
lucet.

Finis sequitur.

²⁸ kóbor ²⁹ falánk ³⁰ magához tér ³¹ az ördögbe
is! ³² a holnapi napról ³³ örtáll ³⁴ Chatti, ger-
mán népfaj ³⁵ elaludni ³⁶ képzel ³⁷ barlang ³⁸ szük
hasadékon át ³⁹ ég ⁴⁰ újra éled, föltámad ⁴¹ vigyorog
⁴² csalogatva ⁴³ felnyög ⁴⁴ valóban ⁴⁵ álomkép ⁴⁶ átko-
zott ⁴⁷ sőpredék ⁴⁸ kérkedő, fitogtató ⁴⁹ mint vlm hajtó-
vadászaton ⁵⁰ nyugtalánít ⁵¹ ostor ⁵² uttalan utakon
⁵³ látod? ⁵⁴ üldözök ⁵⁵ még ellenben ⁵⁶ az asztrológus-
had ⁵⁷ minden nehézség nélkül, ⁵⁸ takaró ⁵⁹ megdörzsöli
⁶⁰ reggeli szürkület.

Hypatia.

Scripsit *Carolus Kingley*, Hungarice reddidit *Arpadus Zigány*.
Excerpsit atque in Latinum convertit: *Valentinus Fehér*.

LIBER I.

I. Philammo Alexandriam proficiscitur.

Anno p. Chr. n. quadringentesimo tertio decimo trecenta fere milia passuum ab Alexandria Philammo, monachus¹ adolescens meditans in finibus desertorum² Libycorum sedebat. A tergo, quaqua intuitus erat oculi,³ infinita vastarum harenarum⁴ latitudo patebat; a fronte in saxis, quae erant in ripa Nili fluminis, sepultra cavata, signa, praealtae columnae semifactae⁵ et cippi⁶ in conspectu erant.

Monachus venerat ligna collectum monas-
terio⁷ Setino, cui Pambo praeerat abbas.⁸ Et
quia rarae in illis locis erant arbores, inter
requirendum longe a monasterio aberrans in
ruinis sederat, ut requiesceret.

Subito oculis circumlati cohorruit: nam
haud procul templum ingens in saxe cavatum
conspexit. In gradibus templi ingentes lapides,
abiecta passim instrumenta robiginosa,⁹ ali-
quot albentes¹⁰ calvae¹¹ in harena iacebant.
Philammo levato corpore ad templum acce-
dens in dimidio itinere haesitans constituit. Ab
abbate quidem aedem paganorum¹² intrare
atque adeo appropinquare vetitus, tamen,

¹ szerzetes ² sivatag ³ ameddig csak ellátott a szem
⁴ homoktenger ⁵ felben maradt ⁶ obeliszk ⁷ kolostor
⁸ apát ⁹ rozsdás ¹⁰ fehérő ¹¹ koponya ¹² pogány.

quoniam sperabat ibi satis lignorum se reper-
turum, intrare decrevit.

Igitur lente gradus ascendebat, cum interea
vix audebat aspicere pictas et sculptas imagi-
nes, quibus artifices antiquissimi templum
ornaverant. Somnians spectabat mille imagines
in parietibus pictas. Volebat et fugere et in-
teriorius accedere; sed haesitans neutro decer-
nere¹³ poterat et segnis astans nullum lignum
tollere audebat.

Fortasse per horas stupidus stetisset, nisi
forte strepitu lapidum labentium exterritus
esset. Tum cohorruit et raptim se¹⁴
foras e templo proripuit.¹⁴ Iam
paenituit eum introisse; certe se
a diabolo¹⁵ tentatum¹⁶ atque in-
ductum, ne praecepsum abbatis
servaret. Domum esse currendum,
ut omnia illi confiteretur. Om-
niane? Quomodo dicere omnia, cum
in imo pectore iam dudum inex-
stincta¹⁷ flamma curiositatis ar-
deret? cupiditas cognoscendi res
omnes et vitam, quae esset extra
fines solitudinis.¹⁸ Nam toto pec-
tore e solitudine in vitam inter
homines exire cupiebat.

Animo demisso¹⁹ ad monasterium lente incedebat, ubi a puero
educabatur. Parentes non noverat;
luna cum Aufugo patre venerat in
monasterium, sed quando id factum esset,
non meminerat. Ab illo tempore semper hic
habitabat, oboediens sanctis eremitis,²⁰ qui, ut
tentationes²¹ hominum evitarent, in Aegyptias
solitudines fugerant.

— Sero, mi fili, venis — ait abbas, ubi
Philammonem conspexit.

— Pauca sunt ligna ac procul ea me petere
oportuit.

— Unde tulisti lignum?

— A... templo, in fine solitudinis.

— A templo? — clamat abbas. — Quid
tibi negotii fuit apud templum? Anne etiam
introire ausus es?

— Ego... ego... ah, pater, ignosce
mihi!

— Opto, ut Deus quoque sic tibi ignoscat,
quemadmodum ego, quod iussum meum neg-
existi. At ne corruptelarum illecebrae²² amplius

te in culpam abstrahant, ab hodierno die veto
te muros horti superare.²³

— Muros horti! haec est mihi, pater, poena
crudelissima. O ne adimas mihi libertatem.
Iuro me nunquam amplius limen illius templi
pagani transgressurum, modo ne me libertate
prives. O ne me rebus externis excludas! Mitte
me hinc Alexandriam, ut videam homines et
vitam meis oculis¹⁹ et serviam Deo Alexandriae,
ubi fortasse plus, quam hic, boni facere potero.
Si Cyrillus patriarcha ceterique sacerdotes ibi
servire Deo possunt, cur ego quoque una cum



Templum in Saxo cavatum.

eis servire non possim? O mitte me, mi Pater!
Si revera²⁴ tam mali sunt homines resque hu-
manae, ut tu ais, revertar ad te neque amplius
te relinquam.

Philammo cum has preces prope uno spi-
ritu decantavisset, vehementer singultare coe-
pit. Tum abbas tacitus reliquit eum et in cel-
lam²⁵ Aufugi patris ascendit.

Aufugus ab omnibus in monasterio ama-
batur. Erat senex mitis ac summissus,²⁶ docti-
simus et sanctissimus, de quo monachi multa
obscura susurrabant:²⁷ illum Romae, unde
venisset, amplum²⁸ gessisse honorem. At nemo
sciebat, quis honoris ille fuisset. Constatbat illum

¹³ egyikre sem szánja rá magát ¹⁴ kisiet ¹⁵ ördög
¹⁶ kísért ¹⁷ olthatatlan ¹⁸ pusztta ¹⁹ csüggéd ²⁰ remete
²¹ kísértés ²² a csábítás ingerei ²³ túlmegy ²⁴ való-
ban ²⁵ szoba ²⁶ alázatos ²⁷ suttag ²⁸ magas, tekinté-
lyes.

a Pambone maxime amari ac diligi cumque paucis ante annis Theophilus per nuntium universis monasteriis nuntiasset Romam ab Alarico captam ac direptam esse, Aufugus longas scripserat ad episcopum litteras, quas tamen revera non ad episcopum, sed ad Byzantinum imperatorem datas esse fama ferebat.

Abbas diu mansit in cella Aufugi. Deinde ad Philammonem agressus dixit :

— Dixit autem Dominus in evangelio Lucae : «*Et dixit iunior patri suo: Pater, da mihi partem meam ex hereditate*», et cetera, ut est in evangelio de filio prodigo²⁹ scriptum. Mitto igitur te, mi fili, sed prius ascende ad Aufugum et cum eo confer sermonem.³⁰

Abbas eum manu comprehensum ad Aufugum duxit, dein eos reliquit. Aufugus clementer interrogavit :

— Cur vis hinc abire?

— Tertullianus, Origenes, Clemens, Cyprianus hi omnes inter homines vixerunt — respondeat Philammo — multique praeter eos, quos ut columna Ecclesiae veneramur : cur non ego quoque eorum vestigia sequi possim? Ipse enim Cyrus patriarcha e speluncis Nitriae in episcopatum³¹ Alexandrinum vocatus est.

— Quo tandem animo³² vis abire?

— Volo homines ad bonam frugem reducere.³³

— Ut eos convertere³⁴ possis, prius cognoscere debes. Et si tam eos novisses, quam ego, non hinc abires, sed gauderes te hic quietum vivere posse. Ego fui Arsenius, tutor Arcadii.

— Byzantini imperatoris?

— Arcadii, mi fili. Vidi et cognovi res humanas et homines, ad quos tu discedere concupiscis. Et quid vidi? tyrannos multorum milium hominum; episcopos,³⁵ qui parricidarum³⁶ pedes summisce osculabantur; sanctos, qui ob unum vile verbum alias alium occidebant atque exsecrabantur;³⁷ vidi peccata, prodiciones, simulationem, ubique mendacium, a rege usque ad servum. At si credis te a Deo vocari, non te retardo. Trade has litteras Cyrillo patriarchae. Scio te ab eo amatum iri meā causā atque etiam propterea, quod dignus es. Abi et Deus sit tibi comes in itinere. Veni, properemus. Linter papyracea³⁸ est in ripa; impone in eam saccum dablarum³⁹: is satis erit, dum Alexandriam pervenies, ubi quivis

monachus te ad Cyrrillum patriarcham ducet. Postea litteras ad nos dabis.

Paulo post linter Philammonis undis Nili celeriter devehebatur.

²⁹ tékozló ³⁰ beszélget ³¹ püspökség ³² szándékkal
³³ jó útra térit ³⁴ megtérít ³⁵ püspök ³⁶ apagyilkos
³⁷ átkoz ³⁸ papirusz ³⁹ datolya.

Agricola senex admonet filium.

Scripsit Lud. Höltl, Latine reddidit Guilelmus Boros.

Esto frugi¹ semper, fidus,
Mors donec abripit,
Viae memento, quā Deus
Olim te duxerit.
Per lucos velut faciens
Iter, sic vivito!
Sis fortis, pone tremorem,
Letum² tu spernito!

Tunc agrum males colere
Arabis leviter;
Tunc gaudens aquam hauries
Bibesque fortiter.
Maleficus vir trepidat,
Nil audet, nil potest,
Nam furiae circumvolant
Eum, qui malus est.

Sacro vere³ quid gaudeat,
Aristis⁴ gravibus?
Dolos parat, insidias
Fortunis deditus.
Tremor ubique⁵ gentium⁵
Illum persecuitur,
Vitae post breve somnium
Perit ac perditur.

Sis frugi ergo et fidus,
Mors donec corripit,
Non immemor viae, Deus
Olim quā duxerit.
Tunc posteri convenient,
Deflebunt acriter
Floresque spargent, quā cubant
Membra, heu! molliter.

¹ derék ² halál ³ tavasz ⁴ kalász ⁵ minden földön.

Sententiae ex Operibus Ciceronis.

Vita rustica parsimoniae, diligentiae, iustitiae magistra est. (Rosc. Amer. 27., 75.)

Is mihi videtur amplissimus, qui suā virtute in altiore locum pervenit, non, qui ascendit per alterius incommodum et calamitatem. (Rosc. Amer. 30., 83.)

Aequo perfidiosum et nefarium est fidem frangere. (Rosc. Com. 6., 16.) Ad. Danczer.



Michaelis Fazekas (1766—1828)

Ludas Matyi. (Matthias Anser.)

Fabula comica quattuor exactiōibus conscripta (1804)
a Carolo Ács Latine et summatim enarrata.

Secunda exactio.

Quo facto Matthias irā ac dolore percitus¹ peregre² abiit nunquam domum matris redditurus. Multas terras multasque peragrat³ urbes atque multas edoc-
tus artes et bene⁴ numma-
tus⁴ vindictam⁵ verberatio-
nis⁵ exacturus⁵ in fundum
Doebroegiensem se contulit.
Ibi tum demolitis pristinis⁶
novae ac magnificentiores
aedes aedificabantur. Mat-
thias cum tectum imperfec-
tum esse, in area⁷ trabium⁸
struem⁸ iacere vidisset, in
architectum mutatus cum
securi et perpendiculo⁹ Doe-
broegium adiit.

«Hac forte veniens, in-
quit, muros rectos et firmos
esse, verum enim trabe, qui-
bus tectum construendum
sit, tenues et infirmas esse
sentio.» «Has quidem, inquit
Doebroegius in mea ipsius
silva caedi iussi.» Matthias
respondit domunculis¹⁰ quidem aptas, sed aedi-
bus splendidioribus inhabiles¹¹ esse; se Romae
a dominis nobilibus saepe ad aedicandum adhi-
bitum fuisse. Haec cum dixisset extracto ex
sinu¹² perpendiculo dimensisque¹³ trabibus ab-
scessurum Doebroegius retinebat domumque
intrare iussit.

Matthiae ibi aegre¹⁴ ferenti, quod his locis
solidiores trabe nullae inveniantur, Doebroe-
gius se silvam habere ait, in qua omnium
pulcherrimae nascantur arbores. Matthias cum
se arbores videre velle dixisset, Doebroegius
statim equos¹⁵ iungendos¹⁵ curavit¹⁵ atque
Matthiā rogante villicum¹⁶ ad arbores caeden-
das ducentos lignatores¹⁷ mittere iubet. Post
opipare¹⁸ cenati cisum concidentes equis¹⁹
citatis¹⁹ in silvam vehuntur. Lignatoribus iam
assignatae erant pulcherrimae quaeque arbo-

res, cum Matthias unam tantum quaerendam
dicens Doebroegium perduxit in reductam²⁰ at-
que densam vallem. «Heus iam reperi, inquit,
quam quaerebam et si haec corporis tui circui-
tum²¹ aequaret,²² quam apta esset.»


Vix ea fatus erat cum amplexatus²³ Doe-
broegii corpus manus post terga revinxit,²⁴ atque
«Evidem inquit, non sum architectus, sed
Matthias Ludas, quem tu caedi iussisti, num-
mos abstulisti, quique tibi verbera redditurum
spondidit».²⁵

Tum fuste querceo²⁶ ex
arbore deciso graviter eum
pulsavit.²⁷ Doebroegius fru-
stra se hoc illuc iactans se
expedire²⁸ conatur, nam
musco²⁹ ore obturato³⁰ ne
hiscere³¹ quidem poterat.
Matthias autem pretio an-
serum ex sinu deprompto³²
propere ex silva facessi-
vit.³³

Doebroegius cum iam
vesperascente³⁴ die nondum
comparuisset³⁵ villicus li-
gnatores passim dimisit ad
dominum quaeritandum. Tandem ad arborem deli-
gatum atque male³⁶ affec-
tum offenderunt.³⁷ Curui
impositus domum vectus
est, ubi aegro corpori cura-
tiones³⁸ variae, sed parum³⁹ prosperae³⁹ adhi-
bentur.

(Reliqua deinceps persequemur.)

¹ haragra lobbánva ² idegenbe ³ bezárt ⁴ megszedve
magát ⁵ a verést megtorolni ⁶ előbbi, régi ⁷ térség, térr
⁸ gerendarakás ⁹ mérőn ¹⁰ kis épület ¹¹ nem való ¹² zseb
¹³ kimér ¹⁴ bosszankodik ¹⁵ befogat ¹⁶ ispán ¹⁷ favágó
¹⁸ felségesen ¹⁹ sebes hajtással ²⁰ félreeső ²¹ kerulet
²² egyenlő ²³ átölel ²⁴ hátrakötötté ²⁵ megfogadta ²⁶ tölgyfa
²⁷ eldöngette ²⁸ kiszabadítani magát ²⁹ moha ³⁰ betöm
³¹ mukkanni ³² kivesz ³³ ellant ³⁴ beesteledett ³⁵ meg-
kerül ³⁶ nyavalylás állapotban ³⁷ találták ³⁸ ápolás
³⁹ sikertelen.



Mors a diis immortalibus non est supplicii
causa constituta, sed aut necessitas naturae
aut laborum ac miseriaram quis est. Cic. (In
Catil. IV., 4., 7.)

Spes sola homines in miseriis consolari solet.
Cic. (In Catil. IV., 4., 8.)

Arx regia Arpadiana Strigonii sub terra reperta.


Scripsit Antonius Lepold.

Consilium¹ delectorum¹ ad¹ protegenda¹ artis¹ monumental¹ in regno Hungariae — cooperantibus² cum praeside Tiberio Gerevich, Antonio Lepold praelato et Colomanno Lux architecto — scrutationes³ archaeologicas supra montem castri Strigoniensis mense Julio huius anni et subsequenti tempore instituendo⁴ e terra antiquissimam domum regum Arpadiorum effodit.⁵

Iam princeps Geysa sedem principalem ad regionem meridionalem⁶ montis Strigoniensis transtulit ibique supra rupem prominentem domum regiam exstruxit, quam Bela III magnifica pompā renovavit. Domum hanc reges Hungariae usque ad annum 1249., deinde vero Primates Regni inhabitabant. Sub ditione⁷ Turcica iteratis⁸ obsidionibus vulnerata domus terrā obruta⁹ est.⁹ Nunc autem e terra eruta¹⁰ resurrexit. Videre licet iam capellam¹¹ regiam arte sublimi saeculo duodecimo exstructam et picturis fulgentem. Insuper octo conclavia¹² quae planō¹³ pede¹³ sunt, et tria cubilia¹⁴ in contignatione¹⁵ cum celaturis¹⁶ et picturis

magnificis. Aedicia sub terra mirifice conservata ab artis peritis restauranda documentum eloquens praestabunt¹⁷ altiorum artium politiorisque¹⁸ humanitatis¹⁸ gratiosissimorum Hungariae regum et doctorum Regni Primateum.

¹ műemlékeket védő bizottság ² közreműködésével
³ kutatás ⁴ rendez ⁵ kiás ⁶ déli ⁷ uralom ⁸ ismételt
⁹ betemette ¹⁰ kiás ¹¹ kápolna ¹² terem ¹³ földsínt
¹⁴ falmélyedés, fülke ¹⁵ emelet ¹⁶ dombormű ¹⁷ nyújt
¹⁸ finomabb műveltegség.



Mortuo Francisco Borvendég praefectura urbis Budapestini superior Eugenio Sipócz mandata est, qui 14 iam annos praefectus urbis res civium administravit. Haud ullus magistratus in Hungaria invenitur, cui tantum periculi¹ in se recipiendum sit quantum praefecto urbis superiori. In Eugenio Sipócz et gubernator et cives fiduciam² collocant maximam, quā omnibus aliis multo dignior esse recte putatur.

Laus archiepiscopi et primatis Hungarici. Cardinalis Gasparri, cuius obitum³ iam nunciavimus (num. 3. pag. 23.), die 4. congressus internationalis iuris canonici (11—18. Nov.) Romae narravit sé omnes episcopos orbis terrarum ad opus codificantis invitavisse, 1200 episcopis autem primatem nostrum excelluisse maxime diligentia et labore accurato.



Pars capellae regiae eratae. (Élet 9. Dec. 1934.)

¹ felelősség ² bizalom
³ elhunytát.

Lingua Hungarica a Rumenis vetatur.
 In oppidulo Etéd (Transsylvania) scholā Hungaricā religionis Helveticae⁴ Hungaris ademptā novus ludus publicus ab Rumenis apertus est, ubi tantum Rumeni docebant magistri. Ex quibus unus, *Vacarean*, non solum vetuit discipulos Hungaricos etiam extra scholam linguā maternā uti, sed etiam pone⁵ portam latens insidiabatur⁶ et discipulos appropinquantes, quos audivit Hungarice colloqui, verberavit.

Cum nuper praeses doctissimus Poloniae professor Moscicki iam tertium decennium studiorum⁷ litterarum⁷ expleret, ab aca- demiis Poloniae sollemniter celebratus est. Duo aedificia polytechnica novissime inaugurata⁸ et monumentum ei statutum magnitudinem ingenii praesidis Moscicki nuntiant.


Frigus mordens⁹ in America septemtrionali¹⁰ tam subito ac vehemens advenit, ut Neo-Eboraco (New-York) iam 15 homines frigoris¹¹ vi¹¹ examinatos¹¹ esse filo aëneo (=telegraphic) nuntiaretur.

Duci Mussolini fides¹² donantur. Legati Societatis Hungaricae «Domus Alba» in aedificio «Palazzo Venezia» aéroplanum «Iustitia Hungariae» recompensandi¹³ causa fides ab instrumentario¹⁴ Ladislao Hidy factas Duci tradiderunt in armario vitreo¹⁵ positam. Ibidem etiam duos libros deposuerunt: historiam Hungariae a Georgio Balanyi linguā Italicā scriptam atque problemata fides fabricandi. Mussolini amator manufestus¹⁶ fidium, quo instrumento etiam ipse libenter canit, promisit fides domum, in villam *Torloniam* transportandas esse, ut semper ante oculos starent ne unquam Hungarorum iustitiaeque eorum oblivisceretur.

⁴ református ⁵ mögött ⁶ leskelődött ⁷ tudományos foglalkozás ⁸ felavat ⁹ csípős ¹⁰ északi ¹¹ megfagy ¹² hegedű ¹³ viszonzás ¹⁴ hangszerkészítő ¹⁵ üveg ¹⁶ közstudomású.

Est boni consulis non solum videre, quid agatur, verum etiam providere, quid futurum sit. *Cic.* (*Pro Murena* 2., 4.)

Est sapientis iudicis, semper, non quod ipse velit, sed quid lex et religio cogat, cogitare. (*Pro Cluent.* 58., 159.)



Eugenius Sipócz.



Res¹ gymnicae¹ huius anni memorabiles

a *Ferdinando Koch* conscriptae a *Carolo Acs* in Latinum conversae.

Hac aestate et ineunte² autumno inter Europae nationes in gymnicis complures res memorabiles gestae sunt. Hungari omnibus his certaminibus, quae prosperrimos eis successus³ adtulerunt, intererant.⁴ Quorum primus Praagae incepit, ubi caterva⁵ Hungarica in lusu

¹ sportesemények ² elején ³ eredmény ⁴ résztvettek
⁵ csapat.

follis⁶ a natantibus⁶ missi⁶ Bohemicos certatores collatione⁷ factā⁷ ut⁷ sunt⁷ 11 ad 1 et 8 ad 1 bis devicit. Caterva nostra intra dies 12. et 20 Augusti mensis perrexit⁸ rem suam gloriose gerere. Magdeburgi, ubi in certamine primatus⁹ Europaei omnibus adversariis atque in certamine¹⁰ decretorio¹⁰ Germanorum catervā timendā¹¹ ut sunt 4 ad 1 profligatis¹². Hungari iterum primatu Europaeo potiti¹³ sunt. In eodem certamine Franciscus Csik, sodalis¹⁴ Academicae Societatis Athleticae primatum Europaeum in natatione¹⁵ accelerata¹⁵ 100 metrorum obtinuit atque Hungarica permutterorum¹⁶ natatorum¹⁶ caterva in certamine 4 × 200 superior evasit.

Hoc tempore id est 12. et 13. Augusti certamen internationale pro primatu Europaeo in lacu Lucernensi a remigibus editum est, quo in certamine nostrates¹⁷ patriam gloriā affecerunt. Etenim cum biremibus¹⁸ et octoremibus¹⁹ certaretur, vicerunt, omnibusque, quae his certaminibus aderant, nationibus praemium nationi optime²⁰ se²⁰ in certamine gerenti²⁰ destinatum,²¹ trophyum hoc pretiosissimum praeripuerunt.²²

At vero pilā²³ more²³ Britannico²³ ludentibus²³ pro! fortuna minime favit. Ineunte enim mense Septembri, cum pro scypho²⁴ Davisiani²⁴ contenderetur, 3 : 2 a caterva Iugoslavica cladem²⁵ acceperunt. A septimo usque ad nonum mensis Septembris diem Augustae²⁶ Taurinorum²⁶ optimi Europae athletae pro primatu Europaeo vires contulerunt.²⁷ Hungari etiam in hoc certamine virtutem²⁸ et vigorēm²⁸ nationi proprium exprompserunt.²⁸ Iosephus Kovács egregius Societatis Gymnicae Budensis athleta primatum in certamine cursus²⁹ per impedimenta²⁹ 110 metrorum adeptus est, Nicolaus autem Szabó sollertissimus³⁰ societatis M. A. C. mediocris³¹ distantiae³¹ cursor³¹ in intervallo³² 800 m longo adversarios externos praecucurrit.

3 et 4 die Octobris Hungaricae Academiae athletae cum Bohemicis Academicis Pragae vires contulerunt et in hac contentione³³ Hungari 83 : 62 punctorum victoriam reportaverunt. Athletae nostri 6. et 7. die in antiqua Graeciae terra, Athenis cum Graeciae lectis³⁴ athletis contenderunt, quos 67½ numeris longe³⁵ exsuperaverunt.³⁵

Etiam 7. dies Octobris Hungaris triumphum in ludo follis³⁶ pede³⁶ pulsandi³⁶ appor-tavit. Delecta Hungarorum caterva in stadio, quod est in via Hungariae, 40 milibus hominum inspectantibus Austriacos, veteres suos adversarios 3 : 1 devicit. Dimidio temporis certamen, cum esset ratio 1 : 1, anceps³⁷ erat, sed post intercedinem³⁸ Hungarica caterva ve-hementissimo impetu superior facta Austria-cos formidolosos³⁹ ad deditio-nem⁴⁰ compulit.⁴⁰ Hoc certamen pro scypho Europaeo et pro ambulatorio⁴¹ praemio⁴¹ initum est. Primo Novembris die delecta caterva Budapestinensis in ludo follis pedepulsandi Parisiacam 5 : 1 superavit.

A Consilio⁴² Corpori⁴² Roborando⁴² Publico die 16. Novembris in deversorio⁴³ St. Gerhardi⁴³ lautia⁴⁵ nostris 14 victoribus⁴⁵ mundanis⁴⁵ et 42 victoribus Europaeis praebita sunt, quibus hic oblata sunt argentea et insignibus⁴⁶ natio-nis⁴⁶ ornata numismata⁴⁷ Consilii Corpori Ro-borando Publici. Inter lautia celebrantes aderat etiam minister cultus et institutionis publicae Valentinus Hóman.

⁶ vízipoló ⁷ arányban ⁸ folytatta ⁹ bajnokság
¹⁰ döntőmérkőzés ¹¹ fejelmes ¹² levepte ¹³ elnyerték
¹⁴ tagja ¹⁵ gyorsúsás ¹⁶ úszóstaféta ¹⁷ hazánk fiai
¹⁸ kétevezős ¹⁹ nyolcevezős ²⁰ a legjobban szereplő
²¹ kitűzött ²² elhódították ²³ tenniszező ²⁴ Davis-kupa
²⁵ vereség ²⁶ Torino ²⁷ összemérték ²⁸ a magyar virtust
 és erőt itt is érvényesítették ²⁹ gálfutás ³⁰ nagy tehetségű
³¹ középtávfutó ³² táv ³³ verseny, mérkőzés ³⁴ válogatott
³⁵ felsőbbseggel legyőztek ³⁶ labdarúgás ³⁷ eldön-tetlen
³⁸ szünet ³⁹ fejelmes ⁴⁰ megadásra kényszerítette
⁴¹ vándordíj ⁴² Orsz. Testnevelési Tanács ⁴³ Gellért-szálloda ⁴⁴ díszlakoma ⁴⁵ világ bajnok ⁴⁶ nemzeti címer-rel ⁴⁷ érem.



Iocosa.

Citatio ex Bibliis.

Tribus iocosis adolescentibus occurit¹ casu Iudeus senex. «Salve!» — salutat eum pri-mus, «pater, Abrahame!» «Salve, pater Isace!» — dicit secundus. «Salve, pater Iacob!» — addit tertius. — «Vos erratis — respondit ille, — ego nec Abrahamus, nec Isacus, nec Iacobus sum,

¹ találkozik.

sed Saulus, qui exii, ut asinos patris mei quae-
rerem, et ecce *inveni* eos !»

Cautus.

Famulus² cuiusdam sutoris² (qui clari ex iocis suis sunt), cum ei iuxta vehiculum cuiusdam pauperis aurigae³ transeundum esset, ab equo⁴ eius strigoso⁴ in adversum⁵ prosiluit.⁵

— Tu asine, noli timere ! Equus meus non calcitat !⁶

— Id haud timeo, respondit ille ei irridens, sed praecavebam, ne me oppimeret, si fortuito corrueret.⁷

In memoriam.

Saphir, celeerrimus magister iocorum, ro-
gatus a quodām ditissimo⁸ viro, ut in suo
libello in memoriam⁹ brevem sententiam⁹ in-
scriberet, haec inscripsit : «Des mihi centum
milia florenorum¹⁰ aureorum mutua et obli-
viscaris in aeternum tui in saecula saeculorum
memoris amici Saphiri». Dr. Felicidán Gondán.

*

A.: Quondam homines pauperes foramina¹¹
fenestrarum ephemeridibus complebant, ergo
antea ephemerides in fenestra erant.

B.: Et nunc ?

A.: Nunc fenestrae sunt in ephemeridibus.

*

Mendicus: Domine, miserere mei !

Dominus: Pecuniam nullam tibi do, certe
enim te in cauponam¹² iturum esse scio, sed
hanc bracam¹³ tibi dono.

M.: Gratias tibi ago, sed nunc, quaeso,
eme a me hanc bracam. Steph. Csics.

² suszterinas ³ kocsis ⁴ gebe ⁵ félre-, elugrott ⁶ rúg
⁷ összerogy ⁸ dúságadag ⁹ emléksor ¹⁰ forint ¹¹ nyílás,
lyuk ¹² kocsma ¹³ nadrág.

Szelvény — Scidula.

A Iuventus előfizetői- Iuventus beneficium
nek és olvasónak azt a subnotantibus lectori-
kedvezményt nyújtja, busque tribuit: hac sci-
hogy e szelvény beszol- dulā traditā libris ab
gáltatása ellenében a Societate Sancti Ste-
Szent István-Társulat phani editis in expedi-
kiadványait a kiadó- torio
hivatalban

Budapest, VIII., Szentkirályi-utca 30.
10% árengedménnyel 10 centesimis minora
vásárolhatják. pretia constituuntur.

Terminus: 1. Aug. 1934.



Solutiones aenigmatum numeri III.

$$\begin{aligned} 1. \quad 5x &= 99 + y \\ &x = 99 - y \end{aligned}$$

$$\begin{aligned} 6x &= 198; x = 198 : 6 = 33. \\ \text{Piscator} &\text{ cepit 33 pisces.} \end{aligned}$$

2. Manet alta mente repostum.

3. Et praeceps Anio ac Tiburni lucus et uda
Mobilibus pomaria rivis.

4. Pater noster, qui es in coelis.

Aenigmata recte dissolverunt: Martha Lindner, Stephanus Neuwald, Emericus Farkas, Alexander Losonczy, Clara Keller, Maria Bendl, Anna Benedek, Teresia Benkő, Barbara Medveczky, Editha Willner, Blanca Ergh, Magdalena Fajcsék, Agnes Lukács, Elisabetha Ivanovszky, Clara Rónai, Marianna Renner, Magdalena Dövényi, Livia Mahler, Ioannes Orlay, Gabriella Biró, Colomannus Kovács, Stephanus Imre, Stephanus Novák, Ladislaus L'Eplattenier (Budapestinum), Franciscus Rapay, Georgius Pfalcz, Antonius Szecsányi (Strigonium-Esztergom), Elisabetha Maurer (Scarabantia-Sopron), Nicolaus Tschida, Stephanus Szigeti (Savaria-Szombathely), Emericus Lipsitz (Debreccinum), Alexius Bereta (Dombóvár), Colomannus Csergő, (Nagykaniza), VII. classis gymn. reg. cath. (Miskolc), Victor Kósa, Gabriel Nyárády, Marcellus Wolf, Stephanus Valter, Dionysius Vajda, Andreas Horváthi, Eugenius Bobay, Andreas Blagusz, Zoltanus Fehér, Georgius Pál, Franciscus Neiger, Ioannes Plótár, Carolus Németh, Ioannes Iudi, Elmerus Kisbiró (Keszthely). Aenigmata numeri II. sero dissolvit : Carolus Mandello.

Premium sorte Emerico Farkas, Barbarae Medveczky, Victori Kósa et Elisabethae Maurer obvenit.

1.

Anus interrogata : quot annos nata sit, re-
spondit : De hac re non fateor, sed frater meus nunc
viginti quinque annis minor natu est, quam ego,
soror minima autem quinquaginta annis minor natu
est, quam frater. Anni mei et fratris atque sororis
ducentos annos efficiunt. Quot annos nata fuit
anusa?

Alexius Czuppon.

2.

o o o

que que que que

quebeat epa

quebeat epa

quebeat epa

3.

o
a

4.

- mus : frater Romuli
 — tum : locus, in quo mortuus comburitur
 et sepelitur
 na : soror Didonis
 bernator : rector navis
 pula : calamus frumentorum
 alii : sacerdotes Martis
 ma : ventus, aér
 ra : cunctatio, dilatio
 urrus : idem ac murmur, strepitus
 que : particula copulativa
 rela : querimonia, conquestio
 ma : figura, species
 iphone : dea, Aetheris et Terrae filia,
 una est ex tribus furiis
 elles : pictor eximius, qui eodem aeo cum
 Alexandro Magno floruit
 o : me ostendo, praesto sum
 ens : doctus, prudens, bene sanus
 sis : gladius
 gum : dorsum bestiarum et hominis
 da : mons Troadis altissimus
 osthenes : princeps Graecorum oratorum,
 discipulus Isocratis et Platonis
 cilium : est conventus hominum
 mes : callis, semita transversa
 iodus : vetus poeta, Ascreaus nominatus
 tus : aeris concitati motus
 t : idem ac : tam multi
 nus : Beli filius, maritus Semiramidis
 les : quicumque militiam exercet
 bria : regio Italiae inter Appeninum et mare
 superum
 gesta : oppidum Siciliae occidentalis
 cator : cognomen fuit Q. Fabii Maximi
 lor : cruciatus, maeror
 ba : tumultus
 gas : homo excelsissimae statura
 mascus : urbs Syriæ
 nus : dea pulchritudinis
 vacrum : balneum.

Litterae vocabulorum, quae desiderantur, recte expleatae et deorsum lectae sententiam reddunt.

Eug. Fray.

Libri dono accepti.

1. Alexander Nagy: Stenographia Latina. 1923. Magyar Gyorsírók Egyesülete, Budapest, II., Orsó-utca 29. (Societas Stenographorum Hungaricorum hoc opus, quisquis dono accipere vult, sine pretio¹ transmittit.

2. Parthenon: (Societas Amicorum Litterarum² Humanarum³ Hungarica.) Acta Societas: Fasciculus³ IX. — Carmina Horatii selecta

in usum iuventutis studiosae ad⁴ modos⁴ aptata.⁴ Modos partim collegit, partim composuit Iosephus Wagner. Budapestini, Typis I. Gottliebi MCMXXXIV. — Prostat⁵ in Hungaria apud Iosephum Fraknóy, Budapest, VIII., Trefort-utca 8. Pretium est pro Hungaria 2 pengő, pro exteris nationibus 3 pengő.

3. M. M. C. Williams: Angol nyelvtanfolyam. («Steppin-stones» to english, an english course.) I. rész. Budapest, 1934. A szerző kiadása. Don Bosco-nyomda.

¹ ingyen ² klasszikus műveltség ³ kötet ⁴ megzenésített ⁵ kapható.



Omnis socios, qui singula ephemeridis exempla urgunt, vel quascunque pecunias mittunt, rogamus, ut administratorem adeant (Alexander Regényi, Budapest, VII., Barcsay-u. 5.), si retardationem et moram facere nolunt. Contra solutiones aenigmatum et omnia, quae ad Iuventutem ipsam spectant, moderatorimittantur.

Certamen cum praemio propositum (vide numerum 1.) prolongatur ad. Cal. Febr. Exitus certaminis mense Februario vulgarabitur.

I. Dehény. Gratias pro tua epistola copiosa. Quandocunque venies, gratum te exspectatumque venturum scito! — Ant. Lepold, Steph. Hein. Opusculum iam dudum exoptatum tandem advenit. Gratias maximas! — Aem. Láng, Val. Fehér, Ferd. Koch et Car. Ács, Ed. Mayer. Manuscripta promissa mature accepi, quibus lectores iam delectari possent. — Alb. Gombos, Eng. Fray, S. Boros. Manuscriptis advenientibus numerus 4. iam sub prelum missus erat, ut lectores etiam ante sollemnia natalicia Christi accipere possent. — Steph. Emericus. Aenigmata tua facilima sunt. Mitte difficiliora. — Collaboratores rogantur, ne aenigmata ad saltum equulei dissolvenda componant, quorum iam magna vis apud moderatorem cumulata est. Sententiarum et proverbiorum quoque satis habemus, quae cum lectores nostri etiam in gymnasiis quotidie audiant, legant et discant, cum grano salis in Iuventute prodibunt. — St. Pivárcsi. Autodidactis linguam Britannicam discere volentibus maxime librum, qui in pagina 40. notus redditur, commendamus, cuius methodo qui utitur etiam sine magistro pronunciationem in hac lingua difficillimam percipit atque comprehendit.

Conclusio 5. fasciculi adornandi Id. Ian. (13. die Ianuarii.)

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: DR. IOANNES KISPARTI, elnök.)